

Ad *Conf. R. 1<sup>o</sup>*. Argumentum eandem difficultatem patitur et solutionem exigit in Episcopis definitionem Synodi œcumenicæ suseipientibus: Unde *R. 2<sup>o</sup>. D. M.* Episcopi post definitionem Pontificis possunt fidei controversias tractare auctoritate judiciali omnimoda ac libera, examinare examine curioso et adhuc fluctuante, judicare iudicio mere juridico utrinque indifferenti, N. Possunt tractare auctoritate judiciali obnoxia et obedientiæ memori, examine studioso et jam addicto, iudicio accessorio et consentiente, C. Episcopi sunt quidem nati et ex sua institutione iudices dogmatum, non tamen supremi et eximii sed subordinati ac penduli a Pontifice.

Antecedente aut comitante etiam Pontificium iudicium tempore, iidem rem examinare curiosi, causam discutere incerti, in veritatem inquirere animo suspensi, quin et capta notitia instructi sententiam aliquam ferre possunt, salva tamen auctoritate Pontificis superiori, et animi promptitudine illam audiendi: post definitionem autem Pontificis non superest illis examen aliud, nisi cognitionis, instructionis et confirmationis, qua Episcopi rationem dogmatis reddere, adversarios refellere, suos erudire queant; nec iudicium aliud, nisi simplicis adhesionis, conformationis, aut adoptionis, qua cum capite consentiant, eique hac ratione omnes conjuncti iudicium universalis Ecclesiæ efformant.

Atque in hac iudicii posterioris via, servatur etiamnum integra judicialis EPISCOPORUM potestas; tum quia eorum consensus non est actus mere obedientiæ, ut in cæteris fidelibus, sed auctoritatis ac iudicii; cum definitioni Pontificiæ adhærentes sententiam forment, qua se Pontifici, in his quæ decedit, jungunt et accedunt: tum quia obedientiæ, quæ iudicio huic admiscetur, exercitium facultati judiciali non plus detrahit, quam quod, si quid decerpit, subordinatio et obediendi promptitudo in iisdem ante Pontificem quidquam decernentibus detraxerat: tum denique quia, quod de re jam certa ac indubia examen scilicet informationis et iudicium conformationis fieri possit, Patres in Conciliis frequenter ostenderunt; ubi præcedentes Synodos œcumenicas relectas et discussas adoptarunt et confirmarunt.

*Inst. 2.* Nec in quæstione de celebrando Paschate Episcopi Asiatici VICTOREM, nec in controversia de rebaptizandis hæreticis Cappadoces et Afri STEPHANUM, nec in causa trium Capitulorum Orientales et Occidentales VIGILUM ejusque successores censuerunt infallibiles, sed eorum decretis repugnarunt: Ergo Seculo 2. 3. et 6. infallibilitas Pontificia erat Ecclesiæ adhuc ignorata.

*R. 1<sup>o</sup>. D. Cons.* Infallibilitas in his seculis non agnoscebatur a quibusdam errantibus et peccantibus, C. ab Ecclesia aut orthodoxis et morem Ecclesiæ gerentibus, N. Erroris ab omnibus illis commissi argumentum est, quod deinceps Ecclesiam a Pontificis partibus stetisse, et adhuc stare sit certum: peccasse autem eosdem contra obedientiam manifestum est, tum ex auctoritate PONTIFICUM legitima imperandi, tum ex subsequa Ecclesiæ obedientia. Ut igitur mirum non est peccantes et errantes in alium quoque errorem prolabi, sic iniquum est ab illorum exemplo aut facto argumentum veritatis desumere: præsertim cum eadem ratione lacessi posset infallibilitas Ecclesiæ, cujus universali consuetudine, et non tantum decreto Pontificio, hæc exempla repugnarint,

*R. 2<sup>o</sup>. D. aliter.* Ergo non agnoscebatur infallibilitas Pontificis in decretis œconomicis et circa res disciplinæ, T. in definitionibus dogmaticis et circa materiam fidei aut morum, N. Decreta œconomica ad potestatem legislativam spectant; et res disciplinæ pendent a variis circumstantiis loci, temporis, usus et aliorum: unde sicut variare et immutari, sic fallere aut deficere possunt. Quæstiones porro objectas de rebus mere disciplinæ fuisse, nemo facile negaverit.

Et de 1<sup>a</sup> quidem quæstione, ipsa festi celebratio ac Calendarii sola notio satis demonstrat.

2<sup>a</sup> complectebatur quidem partem geminam, alteram quæstionem *speculativam*: an Baptismus hæreticorum sit validus? alteram *practicam*: an baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi? omnia tamen priori, quæ erat fidei, controversia maxime vertebatur circa posteriorem, quæ tractabatur tanquam res mere disciplinæ, tum ab Afris, utpote qui suis in Conciliis ac litteris protestabantur, cuilibet Ecclesiæ liberum hac in re relinqui usum ac sensum, quod de fidei quæstione dici nullatenus potest; tum a Stephano, qui tantum præcepit nihil innovandum in praxi, sed retinendum morem traditum; aliam autem quæstionem, teste Aug. l. c. nec *diligenter pertractabat*, nec definiebat.

3<sup>a</sup> similiter involvebat controversiam duplicem: priorem *fidei*: an dogmata Theodori, Theodoreti ac Ibae sana sint vel erronea? et in hac Pontifex nec ab Orientalibus nec ab Occidentalibus differebat; posteriorem hanc: an auctores suorum dogmatum, mortui in pace Ecclesiæ aut recepti a Concilio, sint damnandi ac dogmata sub eorum nomine proscribenda? De œconomia hic et de *re disciplinæ* quæri manifestum est: et in hoc Vigilium primo repugnabat Orientalibus; deinde vero ad schisma Orientis avertendum iisdem indulgens approbavit Synodum quintam: Occidentalibus autem tum ipse tum ejus successores constanter restiterunt; donec tandem, mitiores adhortatione ac studio, ferociores vel pœnis vel tempore ac patientia in suas partes flecterent; de quibus vide Acta Conc. Constantinopolitani. II.

*Inst. 3.* IRENÆUS cum aliis Episcopis VICTOREM, excommunicare Asiaticos ausum, *litteris acerbius perstrinxisse*, apud Euseb. l. 5. Hist. c. 24. scribitur: CYPRUS et FIRMILIANUS suis in litteris STEPHANUM multiplicis defectus, ejus autem sententiam erroris aperte arguunt: AUG. l. 2. de bapt. contra Donat. c. 4. dicit Cyprianum *facillime fuisse correcturum suam sententiam et sine dubio cessurum, si veritas per plenarium Concilium eliquata et declarata fuisset*: additque in hac quæstione, *nec se ausurum aliquid asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmaretur*; ergo sancti etiam Patres infallibilitatem negabant Pontifici, asserebant Conciliis.

Quoad 1. *R.* Quod Victor pacem et communionem cum Asiaticis ruperit, quam illius antecessores Anicetus et Eleutherius adhuc servarant, illud est quod IRENÆUS exagitat: adeoque non defectum in dogmate, sed excessum severitatis in disciplina carpit. An vero id recte an perperam? statuere forsitan licebit ex iudicio Ecclesiæ, quæ non tantum eandem ubique observantiam induxit, sed et observatores cum Judæis convenientes in Conc. Nicæno anathemate percussit.

Quoad 2. *R.* Non solum Pontifici auctoritati officium præstitit, sed CYPRIANI et FIRMILIANI honoribus etiam consuluit Raymundus Missorius, dum

nuper horum epistolas in Stephanum injurias suppositionis convincere conatus est, ac saltem corruptas probavit. Certe CYPRIANUS, dum absque similitate et pacato animo scribebat, in suis ad Antonianum et Cornelium Epist., Pontificem Romanum unitatis et communionis catholice centrum, hujusque contemptum aut neglectum originem schismatum et hæresum pronuntiavit: ita autem loquenti, ni fallor, fidei plus tribuendum est, quam ubi iratus, et humani quidpiam passus, alia protulit, *passionis falce purganda*, ut Aug. L. 1. de Bapt. contra Donat. c. 18. scribit.

Quoad 3. R. Aug. in *primo textu* affirmat œcumenicæ synodo a CYPRIANUS fuisse deferendum, non autem negat idem obsequium solemnium Pontificis definitioni ab eodem præstandum: in *secundo* iterum affirmat prius, et nullatenus excludit posterius; quia in neutro fit comparatio inter Pontificem ac Concilium, nec Cypriani ætate, Pontifex aut Concilium Generale definitionem hujus materie dogmaticam ediderat; altero tandem seculo Synodum Generalem decidentem primum audiente. Cæterum si comparativum etiam sensum Augustini evinceres, in disciplinæ tantum rebus Pontificem probares fallibilem, in quibus corrigi quoque Concilia Generalia a posterioribus posse, idem S. Doctor L. 2. de Bapt. c. 3. declarat. Vid. num. 133.

193. *Objic. II.* Patres, Concilia, imo ipsi Pontifices contestantur, Papam non esse infallibilem sine accessione consensus Ecclesie. *Prob. 1.* TERTULL. ab universis Ecclesiis fidem exquirendam et obtineri posse declarat, ita L. de Præscript. c. 21. scribens: *Quid autem prædicaverint Apostoli, et hic præscribimus non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias Apostolicas: constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus in fide conspirat, veritati deputandam.* 2. Aug. judicium Pontificis et retractari et errare posse docuit; 1<sup>um</sup> quidem epist. 162. scribens: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicaverunt non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesie universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari etc.* 2<sup>um</sup> autem L. 2. contra 2. epist. Pelag. c. 3. dicens: *Sed si, quod absit, ita tum fuisset de Cælestio et Pelagio in Rom. Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis et cum ipsis Innocentius damnaret, approbata et tenenda pronuntiarentur; ex hoc potius esset prævaricationis nota inurenda.* 3. S. COLUMBANUS acerbis litteris Bonifacium IV. reprehendit ob defensam trium Capitulorum damnationem. 4. Julianus et Patres Conc. Toletani XV. dogmaticum in quasdam priores propositiones Judicium Benedicti II. tanquam *incuriosa lectione* decepti respuerunt, quin ipse Benedictus postea probavit, quod ante reprobarat.

R. ad Arg. N. *Assert. Ad prob.* Quoad 1. R. D. TERTULL. ait, quid prædicaverint Apostoli, non aliter probari debere nisi per Ecclesias Apostolicas, excludendo a probatione synagogas hæreticas earumque Traditiones, uti ex libri scopo patet, C. ad fidei notitiam exigendo omnium Ecclesiarum consultationes, N. Quin, si hoc necessarium jam foret, sola Romana Ecclesia consuli posset; cum nulla jam amplius, præter illam, fundata per Apostolum, Ecclesia particularis sit superstes.

Quoad 2. R. 1. Utrobique Aug. loquitur duntaxat ex hypothesi, et quidem ut satis indicat, impossibili, unde illatio absoluta nequaquam deduci potest. R. 2. Neutro in loco de materia fidei agitur: sed prior quidem ad causam

Cæciliani, posterior ad iudicium personale Pelagii et Cælestii refertur; in qua etiam prævaricationis notam non dicit Pontifici, sed *Romanis Clericis*, ut addit, inurendam.

Quoad 3. R. Rectius præsumptis S. COLUMBANI litteris negatur fides, quam ut, his admissis, ille dicatur cum solis Istriæ et Venetiæ Præsulibus, non solum Pontifici, sed universæ Ecclesie repugnasse. Si quis tamen epistolam esse genuinam contendat, virum sanctum quidem nobis contrarium, sed et schismaticum faciet, et erroris postea revocandi reum eundem: non vero testem fide dignum et audiendum probabit.

Quoad 4. R. BENEDICTUM II. minus cautum ac deceptum reprobasse S. Juliani et Patrum Toletanorum epistolam, minus æque minusque vere scripsit Rodericus Archiep. Toletanus: cum Pontifex hic, ad tollendam ambiguitatem, recte et duntaxat postularit explicari has propositiones: « In divinis voluntas procedit ex voluntate; et Christus constat ex tribus substantiis. » Catholicam harum expositionem a Juliano et Conc. Toletan. XV. obedienter missam SERGIUS I. acceptavit; non autem exinde reprobata approbavit BENEDICTUS, biennio jam ante defunctus.

*Inst. 1.* Concilia forent inutilia, si Papa foret infallibilis; cum per hæc infallibilitatem infallibilitati Pontificie addere impossibile esset aut frustraneum. 2. Ad decidendas fidei controversias necessaria esse Concilia, enuntiant apud Tournelium tum EUSEBIUS narrans, *majoris momenti controversias aliter quam per synodos componi non posse*; tum INNOCENTIUS I. scribens, *synodali cognitione opus esse, hancque solam procellarum motus sopire posse*; apertius autem statuit Conc. Gen. V. ad Conciliorum morem provocans et ita loquens: *Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari*: 3. Licet CÆLESTINUS Nestorii, LEO Eutychetis, MARTINUS et AGATHO Monotheitarum hæreses damnarint; Ephesinum tamen, Chalcedonense et Constantinopolitanum III. Concilia easdem causas tractarunt, ipsas Pontificum definitiones examinarunt, nec nisi post examen susceperunt. 4. Conc. Gen. VI. HONORIUM I. Pontificem cum aliis hæreticis, repetitis vicibus, tanquam hæreticum damnavit; quam damnationem Concilia Generalia VII. et VIII. confirmarunt.

Quoad 1. R. N. *seq. Ad. Rat. D.* Infallibilitati vel plane non vel frustra additur infallibilitas, quæ faciat intensionem certitudinis, C. quæ extensionem certitudinis faciat, N. Tametsi definitis a Pontifice Concilium alteram et distinctam Ecclesie indefectibilitatem addere haud valeret, priorem tamen certitudinem firmaret extrinsecus, et latius propagaret. Accedente enim ad Pontificiam sententiam Concilio, hæreticorum audacia reprimitur fortius, et pertinacia frangitur facilius; Catholicorum instructio perficitur commodius, et unitas doctrinæ percipitur evidentius; decretorum observantia impetratur suavius, et executio urgetur efficacius.

Quoad 2. R. Sicut pro absoluta Conciliorum necessitate ratio solida omnis deficit, sic allata hic auctoritas nihil proficit. EUSEBIUS enim non de necessaria rerum conditione loquitur, sed de ætatis suæ consuetudine: quæ ipsa tamen adeo necessitatem non probat, ut potius nimia Conciliorum frequentia Ecclesiam violentius turbatam historia Arianorum ostendat. INNOCENTIUM dictum ad causam S. Joann. Chrysostomi pertinet; cui non tam ratione sui, quam ratione adjunctorum Concilium potuit esse proficuum, ut num. 178.

sub finem diximus. CONC. GEN. V. tandem hæc dicere poterat, tum quia hæreticorum obstinatio et artes Vigili una et Concilii Chalcedonensis auctoritatem fecerunt dubiam: tum quia Orientis et Occidentis pactum præcesserat de celebrando Concilio. Cæterum non tam fidei quam facti quæstionem fuisse in causa Trium Capitulorum ex Hist. Conc. constat: ipsis autem Concilii verbis, minime absolutam necessitatem, sed difficultatem duntaxat fuisse indicatam, phrasis usitata declarat.

Quoad 3. R. Concedo imprimis, easdem a *memoratis Conciliis* tractatas esse causas. Rei hujus justa, nec Pontificiæ auctoritati noxia, ratio fuerat, quod hæretici Pontificis sententiæ non acquiescerent, patronos malæ causæ plures ac potentes nacti; contra quorum pertinaciam et proterviam Concilia esse utilia nuper statuimus: cum omnibus, quam uni, resistere sit insolentius, cedere autem minus verecundum. Deinde *Nego* quod nonnisi post examen Patres in Conciliis Pontificias definitiones admiserint: Acta siquidem Conciliaria ostendunt post litteras Pontificis simpliciter lectas ab Ephesinis actione 4<sup>a</sup>, a Chalcedonensibus act. 2<sup>a</sup>, a Constantinopolitanis act. 4<sup>a</sup>, ubique pro data primæ lectionis occasione, fuisse acclamatum: quod autem in duobus postremis lectio sit repetita, et facta discussio, in Chalcedonensi pro informatione hæsitantium circa vim vocis Palæstinorum et Illyricianorum, in Constantinopolitano pro convictione refragantium tribuebatur. Denique examine quocumque admissio, et acceptatione Patrum quancumque secuta, assero nihil hinc profici contra Pontificum inerrantiam. Certum enim est 1<sup>o</sup>. Pontificum horum definitiones, jam ante Concilia, ab Occidente universo et maxima parte Orientis fuisse acceptatas: unde si quid auctoritatis detrahant ejusmodi examina, non Pontifici soli, sed Ecclesiæ etiam maximam partem cum Pontifice conjunctæ detrahunt, contra Catholicorum omnium sententiam. Certum etiam est 2<sup>o</sup>. materias in prioribus Conc. Generalibus jam decisas, a Patribus tamen sequentium Conciliorum fuisse examinatas, et ad Scripturæ ac Traditionis regulam discussas, quin existimet quispiam inde auctoritatem Conciliorum esse imminutam. Cur ergo simili examini non potuerint subijci definitiones Pontificiæ, salva harum infallibilitate.

Quoad 4. R. Communior opinio concedit a Concilio damnatum HONORIUM, non tamen ut hæreticum dogmate ac sensu, sed tantum ut hæreticum favore et œconomia: Recentior autem concedit quidem illum ut verum hæreticum esse damnatum a Patribus, non tamen a Concilio; quia hæc Patrum sententia nec a Leone nec ab alio Pontifice posteriore fuerit approbata vel confirmata. Hinc vero LEONIS imprimis epistolæ, quæ ad Regem et Episcopos Hispaniæ circumferuntur scriptæ, rejiciuntur ut supposititiæ: suppositionis autem indicia, præter alia olim a Baronio indicata, afferuntur tum numerus ordinis sextus Concilio huic illis in litteris adsculptus eo tempore, quo Hispani adhuc Concilium V. admittere renuebant: tum argumentum earum litterarum in Synodo Toletana XIV. relatam, quod solam fidei definitionem, nihil de Honorii damnatione, continet. In aliis etiam ad imp. Constantinum litteris fraudem et insitionem verborum factam prodere dicitur tum contextus ipse Honorii mentionem circumstans, tum laus Græcis hujus Concilii Patribus plane immerito data.

Additur aperta ANASTASII Bibliothecarii negatio et perpetuum Pontificum

posteriorum silentium de approbatione hujusmodi. Neque contra hoc permittitur proferri *Liber Diurnus*, utpote qui, præterquam quod alibi multa adulterina adjecta contineat, in recentiore et Latina fidei professione Pontificis electi non meminit Honorii; quamvis meminerit in antiquiore, sed quæ a Græco et pro Græco Patriarcha, non pro Romano Pontifice, conscripta appareat. De *Conciliis* VII. et VIII. eadem est responsio; Honorii scilicet damnationem a Græcis Patribus, Græcòs priores sequentibus, non item ab ipsis Conciliis, esse repetitam: atque in his, cum nequidem canones recens constituti omnes probentur, multo minus a Pontifice approbata credi posse, quæ sine disquisitione exscripta tantum videntur.

*Inst. 2.* LEO I. multipliciter ostendit, a Synodo expectandam Pontificiæ definitioni infallibilitatem. Imprimis post damnatam jam a Flaviano et a se hæresin Eutychetis, Theodosio postulante, consensit in Concilii celebrationem in ep. ad Concilium scribens: *Quia pie et religiose Imperator haberi voluit Concilium, ut priori judicio possit aboleri error, et Fratres communi nobiscum sententia, quæ Deo placita sunt, constituent: dein hac Synodo in latrocinium versa, ipse ab Imperatore rogat iudici in Italia Synodum, quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum: demum post Conc. Chalcedonense in epist. 63. ad Theodoret. gloriatur illud, quod ipse desinierat, universe fraternitatis irretractabili fuisse firmatum assensu; declarat etiam, prius fuisse inventos, qui ambigerent de Pontificis iudiciis; et ad veritatem illustrandam prodesse, dum quæ fides prius docuerat, hæc postea examinatio confirmaret; hinc observat effectum, ut ubi summorum servabatur auctoritas, in nullo inferiorum pateretur imminuta libertas.*

R. Poterat LEO hæc omnia tum dicere tum facere absque auctoritatis suæ detrimento. Imprimis quidem Eutychete amicis prævalente et turbas machinante, poterat pro remedio et tutela acceptare Concilium, illudque dicere *judicium plenus*, quam fuerit FLAVIANI Constantinopolitanum et suum Romanum, non æque numerosa. Dein cum partes Eutychetis jam essent auctæ, et DIOSCORUS Conciliari auctoritate abusus; poterat LEO postulare Concilium in Italia, a vi scilicet aulicorum remotum, ut æqualibus armis fidei causam defenderet, et conspirantibus jam omnium votis, nec imprudens *de fide dubium* relinqueretur. Demum in epist. ad Theodoret. recte dicit Concilii assensum *irretractabile iudicium*; quia illo omnis retractandi ratio et via etiam hæreticis esset adempta; licet jam ex sola Pontificis definitione ea præcederetur fidelibus, ut Patres in relatione ad Marcianum testantur, de Leonis epistola loquentes: *Credientibus sufficit ad utilitatem fidei indiscussa perspectio, ad confessionem pii dogmatis devotos pertrahens animos.* Item recte declarat *fuisse qui ambigerent*, ignaros scilicet sermonis ac sensus alios, alios hæreticos; eosdem etiam altera jam lectione et examine partim edoctos, partim convictos; ac utrumque ad *illustrandam veritatem* valuisse, ut illud nimirum S. Thomæ dubium plus profuit ad fidem Resurrectionis. Tandem recte observat, *non esse imminutam libertatem*, qualem etiam retinent Episcopi, ut iudices subscribendo œcumenicæ Synodo, et fideles ut subditi amplectendo decreta; quia in utroque libertas remanet, ut fides possit esse meritorea.

*Inst. 3.* EUGENIUS IV. in Bulla 3<sup>a</sup>. adv. Basileenses fatetur in his, quæ ad

fidem respiciunt et statum universalis Ecclesiae, potius attendendam esse Concilii, quam Papae sententiam. GREG. XI. autem in suo Testamento revocat, si in Consistorio, Concilio vel sermonibus aliqua dixerit erronea contra catholicam fidem; quod ipsum CLEMENS VI. in diplomate A. 1351. in testamenti morem edito scripsit. PAULUS IV. demum in Consessu A. 1557. celebrato edixit: *Non dubito, quin ego et Praedecessores mei errare aliquando poterimus.*

R. Verbis, quae reperire non licuit, objectis EUGENIUS satis contrarium se praebuit tum facto, quo potestatem in coetum Basileensem exercuit, tum et Bullis, quae illius decreta contrivit. Si quae tamen ejusmodi pronuntiavit, de dubio aut privatim loquente Pontifice accipienda forent. Nec GREG. nec CLEMENS revocant, quae ut Doctores publici et loquentes ex cathedra dixerant, sed forsitan quae ut privatis Doctoribus exciderunt: ideo enim citatis locis dicunt, prior quidem: *Si quae dixi erronea contra catholicam fidem ex lapsu linguae aut alias ex aliqua perturbatione*; posterior autem: *Si quae ex lapsu linguae praecipitanter forsitan protulimus.* Similiter si PAULUS IV. dictum, quod unice Mich. Castelnavi Malvisserii testimonio nititur, supponatur verum, Pontificem de causarum matrimonialium judiciis ac dispensationibus loquentem exhibet, et hinc velut judicem ac particularem Doctorem, nobis haud dissidentibus, declarat fallibilem.

Inst. 4. ADRIANUS II. in epist. ad Syn. VIII. fatetur Honorium ex consensu etiam Sedis Romanae damnatum ob haeresin, his verbis: *Licet Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit, sciendum tamen est quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus resistere majorum suorum motibus, vel pravae sensus libere respuere: quamvis et ibi nec Patriarcharum nec ceterorum Antistitum cuiquam de eo quamlibet fas fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem primae Sedis Pontificis consensus praecessisset auctoritas.* ADRIANUS autem VI. diserte asserit et probandum sumit, plures Romanos Pontifices fuisse haereticos.

R. ADRIANUS II. soluturus comparationem, quam Photius ab Honorii damnatione pro suo contra Nicolaum sacrilego ausu objecerat, in allato epistolae fragmento triplex discrimen, quo adversam omnem juris ac licentiae speciem dissipat, proponit. Cum enim PHOTIUS excommunicasset Nicolaum viventem, Patres Orientales damnarunt Honorium mortuum: cum ille defectus tantum disciplinae objiceret Pontifici, hi haeresis accusarunt Papam: cum prior repugnante Sede Apostolica ac sine auctoritate jurisdictionem usurparet, posteriores consentiente et auctoritatem judicandi tribuente Romana Ecclesia dicebant sententiam. Neque tamen Honorii causae nocet, sed prodest potius, tot capitibus exaggerata differentia.

Quod enim sententia dicta sit in mortuum, facit ut nomen tantum et fama sit laesa non autem persona nec jurisdictio, quae in vivente duntaxat subjectatur: quod haeresis sit objecta, ostendit quaestionem factam in Honorium ut privatum doctorem, non ut Pontificem: cum in hunc crimen haereseos cadere non posse, ex acceptis ab AGATHONE litteris Orientales certo ac recentissime scire debuerant: quod denique addatur quidpiam de praecedente Pontificis consensu, non evincitur inde Honorium consentiente Papa, ac ideo auctoritate Concilii, fuisse damnatum, ut hinc necesse sit ad corruptionem vocis recurrere, et lectionem praecessisset in praecederet com-

mutare. Ex hoc ipso enim, quod legatur Pontificis consensus praecessisse, sequitur hunc consensum referri ad damnationem Honorii non posse, cum ex historia manifeste constet, Pontifices omnes concilium sextum praecedentes pro Honorii innocentia unanimiter stetisse.

Unde tandem postremam periodum D. Orientalibus non licuisset qualemcumque sententiam dicere, nisi praecessisset Pontificis consensus in damnationem Honorii, N. nisi praecessisset consensus in iudicium de Honorio habendum, et tum ferendam sententiam, *subd.* sententiam provisoriam tantum aut aliam quaecumque non ultimam, C. definitivam et ultimam, N. Cum Honorius post mortem jam a Pyrrho insimulatus erroris fuerit, et hinc timendum erat ne Orientales hanc accusationem repeterent, poterat AGATHO (indicantibus factum ADRIANI litteris) dedisse Legatis mandatum, ne pertinacius urgentibus Graecis obsisterent, sed causam agi sententiamque pro Conciliorum more dici sinerent, servata sibi sua auctoritate, hanc sententiam suae decisioni subordinatam aut confirmandi, aut rescindendi, aut omittingo eam auctoritate conciliari frustrandi; quod postremum etiam evenisse ex nuper dictis vero est simillimum.

Quod ADRIANI VI. assertum attinet, de eo, tanquam a Lovaniensi Doctoris dicto, jam. num. 180. est responsum, quem vide.

194. Obj. III. PONTIFICES ipso facto ostenderunt se esse fallibiles, partim agendo contra fidem, partim consentiendo haereticis, partim docendo errores et haereses, partim sibi ipsis mutuo contradicendo. Prob. 1°. S. PETRUS Joan. 18. v. 25. ter Christum negavit; et ad Galat. 2. CEPHAS sive Petrus, quod variata simulatione gentes cogeret Judaizare, a Paulo fuit reprehensus. 2°. MARCELLINUS narrante Lib. Pontificali thus adolevit Diis in templo Isidis ac Vestae; ob quod delictum celebratum etiam non poenitentibus. 3°. BONIFACIUS IX. iusta Bernardin. Corium in hist. Mediol. concessit indulgentiam extraordinariam etiam non poenitentibus. 4°. INNOCENTIUS VIII. a Raphael. Volaterrano L. 7. Geogr. dicitur permisisse Norwegis consecrationem calicis sine vino: ALEXANDRUM VI. voluisse idem permittere aliis refert Barth. Fumus in Summa. Ergo.

R. ad Arg. N. Assert. Ad prob. R. 1°. D. Cons. Pontifices egerunt contra fidem imprudentia conversationis, ut priores, aut dispensationis, ut posteriores, T. Praedicatione falsi aut definitione erroris, N. Per actiones hujusmodi, quantumvis fidei etiam contrarias, nemo dixerit illos Pontifices e cathedra locutos, aut Ecclesiae universae tanquam credendum proposuisse aliquid. R. 2°. in plerisque aut falsa aut impertinentia afferuntur. Unde singillatim:

Quoad 1. R. Quantum ad negationem Christi, Concedo PETRUM ea peccasse, sed Christo adhuc vivente, ideoque necdum ut Christi vicarium ac summum Pontificem. Quantum ad simulationem legalis observantiae ac meritam hinc reprehensionem, Nego hunc CEPHAM, de quo in epist. ad Galatas narratio est, fuisse eundem cum Petro Apostolo. Quamvis enim pro identitate utriusque stent Patrum plurimi, non desunt tamen ex iisdem alii, nempe Clemens Alex. L. 4. Hypoth., Irenaeus L. 3. adversus haer. c. 12, Methodius in Frag. cont. Porphyrium, Eusebius L. 2. hist. c. 13, Dorotheus Tyrius in Synopsi, Auctor Chronici Alex. et Oecumenius in comment. epist.

ad Galatas, qui distinctionem inter Cepham reprehensum et Petrum Apost. vel asserant, vel ut probabilem enuntient. Præterea hæc objurgationis Petrinæ historia nec vero similis est ratione personarum; cum Cephæ tribuantur prædicata ejusmodi, quæ Petro haud congruunt; Paulus ea agit cum Cepha, quæ cum Petro non ageret; narrentur de Cepha et Petro, quæ discrimen inter utrumque prodant: nec vero similis est ratione circumstantiarum; cum causa simulandi in Petri characterem non cadat; tempus simulationis nec ante nec post Conc. Hierosolymitanum figi possit; locus denique seu commoratio Antiochiæ, cum Chronologia Petri et discessu Pauli ab Hierosolymis conciliari nequeat.

Quoad 2. R. MARCELLINI lapsum et Synodum Sinuessanam esse commentitiam. 1<sup>um</sup> quidem tum ob improbabilitatem ipsius facti ex adjunctis sive Sacrificii sive instigantis apparentem, tum ob silentium auctorum cœvorum et apertam S. Augustini L. de Bapt. un. c. 16. oppositionem contra Petilianum primum hujus facti narratorem: 2<sup>um</sup> tum ob fictionem ex Concilii loco, Patrum numero ac testium mysterio emicantem, tum ob acta Chronologiæ ac moribus illius ætatis contraria: a quibus tamen deceptum tum Nicolaum in epist. ad Michael. Imp. tum Librum Pontificalem et Breviarium Romanum fatemur; cum fabulæ hujus antiquitatem non negemus, utpote a Donatistis confictæ aut usurpatae.

Quoad 3. R. Concessionem a BONIFACIO IX. factæ nec satis est testis unicus, nec testis hujus auctoritas. Veritate tamen dissimulata, indulgentia hic data duntaxat fuit penæ canonice et ab Ecclesia exigendæ ideoque extraordinaria; cum alias dari solita remissio sit penæ naturaliter debite etiam a Deo infligendæ, et quidem præsupposita culpæ venia; unde non nisi confessis aut contritis indulgetur.

Quoad 4. R. Volaferrani de INNOCENTIO VIII. narratio caret auctoritate; tum ob rationem adjectam falsam, quod scilicet vinum in Norvegia ob frigus immensum acescat, tum ob omnium Theologorum contradictionem. Fumi relatio ex incertis tantum rumoribus prodiit, inde exorta, quod Alexander VI. postulantis quibusdam hujus facultatis copiam, quid fieri possit, jusserit examinari.

Inst. 1. ZEPHYRINUS, teste Tertull. L. cont. Prax. c. 1 probavit prophetias Montanistarum, et his communionem Ecclesiæ restituit. 2°. LIBERIUS juxta Hilarium, Hieronymum et alios subscripsit formulæ Sirmiensi, et damnato Athanasio communicavit Arianis. 3°. ZOSIMUS ex Aug. L. 2. ad Bonif. et Facundo Hermian. L. 7. libellum ac fidem Pelagii et Cœlestii tanquam catholicam laudavit, et Afros illis contrarios reprehendit. 4°. HONORIUS docentibus Conc. VI. actis, sensum ac mentem Monothelitarum in suis ad Sergium litteris penitus est secutus. Ergo.

R. 1. D. Cons. Pontifices consenserunt hæreticis sua dogmata dissimulantibus aut emendationem fingentibus; et sic errore duntaxat facti, T. hæreticis sua sensa prodentibus aut errores defendentibus, et sic errore juris, N. Patebit distinctio et ratio permissi duntaxat membri ex dicendis ad singula.

Hæc R. 2. et quidem quoad 1. N. Ass. Nec enim credendum est Tertulliano post lapsum in hæresin de favore Pontificis in suam Montanistarum sectam mentienti: nec ZEPHYRINUS omisit tum decreto de recipiendis penitentibus ap. Tertull. ipsum L. de Pudicit. c. 4. laudato, tum facto

concessæ Natalio veniæ ap. Euseb. L. 5. c. 21. relato, declarare dogma principale Montanistis contrarium. Quominus tamen Zephyrinus hæsitaret primum de Montanistarum prophetiis, ac paratum se ad eos penitentes recipiendos præbuerit, aut forsitan illorum fraude in aliquem facti errorem perductus fuerit; repugnantius negare nec animus est, nec ad defendendam Pontificum inerrantiam necessarium.

Quoad 2. R. Admodum probabile est LIBERIUM in nullo ex dictis capite esse lapsum. Etenim cum hoc lapsu nec causa reditus in urbem; nec comparatio Romanorum redeuntem excipientium, nec Catholicorum cum restituto communitio, nec Arianorum post impetratam restitutionem agendi ratio verosimiliter conciliari potest: testimonia autem Patrum opposita aut suppositionis aut corruptionis olim a Corgneo et nuper ab Hagiographis Antuerpiensibus fuerunt convicta. Si tamen, permessa scriptorum hujusmodi integritate, Liberius dicatur subscripsisse formulæ Sirmiensi primæ, neutiquam in fide, sed fortitudine duntaxat et œconomia, defecisse Liberium, convinci potest, ut in Tr. de Deo Trino est ostendendum.

Quoad 3. R. ZOSIMUM a Pelagio et Cœlestio mendaciis et simulatione deceptum fuisse fatemur: negamus autem approbasse unquam eorum errores, ipso Augustino et Facundo loc. cit. itemque Mario Mercatore in commonit. suffragantibus. Ex quibus etiam constat, laudem libello ac fidei professioni datam, non ad illa secundum se et doctrinam, sed ad ea secundum simulatam mentis præparationem pertinuisse; quod in Tr. de Gratia c. 2. declarabitur.

Quoad 4. R. Diximus num. superiore, HONORIUM, non a Concilio, sed tantum a Patribus fuisse damnatum: addimus nunc immerito id factum; quia Pontifex nec in asserenda unica Christi voluntate, nec in supprimendo unius aut duplicis operationis vocabulo, Monothelitarum mentem aut sensum est secutus. 1<sup>um</sup> enim asserendo, negavit tantum in humanitate Christi voluntatem duplicem, et voluntatem carnis seu contrariam; non autem in persona Christi geminam, et voluntatem mentis seu humanam, distinctam quidem a divina, sed huic tamen conformem; ut ex epistola ejus prima qualicumque superstite, ac defensione illius multiplici, plerisque manifestum videtur. 2<sup>um</sup> Honorius nunquam scripsit, sed falsarii assuerunt: unde ex epistolis, sub Honorii nomine vulgatis, secundam penitus adulterinam, primam adulteratam credimus: cum illa tota, hæc ex parte de silentio operationis tractet.

Quod autem HONORIUS genuinis suis in litteris de suppressione vocabuli operationis nil scripserit, negative probat silentium usque ad synodum sextam perdurans tum Monothelitarum Honorii accusatorum, tum Catholicorum ejus defensorum, tum judicium ipsius in Conc. Lateranensi examinantium; penes quos nullibi mentio hujus criminationis facta conspicitur: positive autem demonstrant testimonia Joannis Abbatis Romani, Stephani a Sophronio legati, Maximi martyris, et trium Pontificum, Joannis VI. Martini I. et Agathonis, Honorio sive generatim sive in hac causa speciatim faventia; quæ conjuncta cum externis suppositionis indicis ac vitis ipsarum epistolarum internis, Honorium facile ab objecto cum hæreticis consensu liberant, ut alibi forsitan uberius exponetur.

Inst. 2. BONIFACIUS V. in epist. ad Angliæ Regem docet, Christum a solo